

DIONYSIUS RICKEL CARTHVSIANVS.



Dionysius Rickel ab ineunte ætate sacris literis operam dedit, atq; mirum in modū in ijs profecit. Ut etiam commodius literis uacare posset, ordinem Carthusianum domus Bethleem in Ruremunda suscepit. Eum sua eruditione & pietate plurimū nobilitauit & illustrauit. Contemplationi & orationi cum tāto feruo ie instabat, ut eum nihil scribere potuisse unquā putares. Rursum in scribendo & legēdo tam sedulus, ut nec orare, nec diuinis cōtemplationibus operam posse dare crederes. Erat parcissimi somni, cibi & potus abstinentia admirabilis, qui S. Hieronymi exemplo die ac nocte in lege Domini meditari dulcissimum iudicabat. Semper aliquid scribebat aut legebat, ita ut lectionem oratio s̄aepē interrumperet, & orationem sacra lectio frequenter exciperet. Tantum cum in studijs & precibus esset, etiam diuinis reuelationibus dignus fuit habitus, cū s̄aepius in extasim raperetur.